

EPÍSTOLA
B. PAULI APOSTOLI
ADEPHESIENSIS.

ROMA scripta est ex vinculis, quorum ter meminit, capite nempe 3. & 4. atque ultimo: per Tychicum Diaconum transmissa, cuius in fine mentio est: circa annum, ut opinamur, Aera vulgaris 62. à Christi morte 29. Hanc sub nomine Epistola ad Laodicensis à Marcione fuisse venditam, Tertullianus & Epiphanius indicant, quod ex fide huius Ecclesie fuisse factum credibile est. Quid enim hoc ad Marcionis causam? Notandum enim in antiquis, ut ex Basilio lib. 2. contra Eunomium, & ex Hieronymo in hanc Epistolam, apparet, generatim inscriptam fuisse. Tals àylas tois vni, xai neqois èv Xpistò Iesù. Vel, ut in litterarum encyclicarum inscriptione fieri solebat, Sanctis qui sunt: & fidelibus in Christo Iesu: ut ita ab Epheso, quò ipsam quasi ad Asia Metropolim primùm missam verisimile est, ad ceteras eiusdem provincie civitates, adscriptis cuiusque nominibus transmitteretur, & ad eas etiam quas Paulus ipse nunquam viderat, ut de Laodicensibus patet Coloss. 2. 1.

Huius epistola, praesertim primis capitibus implexus & involutus est sermo, sensusque obscurus & explicatu difficilis, rerum nimirum sublimitatem adaequans verbis sublimioribus, quam ulla unquam habuit humana lingua.

CAPUT PRIMUM.

Premissa solito more salutatione, mysterium voluntatis Dei in vocatione, & praedestinatione nostra veneratur; tum gratias agit Deo pro tot beneficiis per Christum in nos collatis.

PAULUS Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei, omnibus sanctis, qui sunt Ephesi, & fidelibus in Christo Iesu.

- 2. Gratia vobis, & pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo.
- 3. * Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spiritali in caelestibus in Christo,
- 4. sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate.
- 5. Qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum: secundum propositum voluntatis suae,
- 6. in laudem gloriae gratiae suae, in qua gratificavit nos in dilecto filio suo.
- 7. In quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum secundum divitias gratiae eius,
- 8. quae superabundavit in nobis in omni sapientia, & prudentia:
- 9. ut notum faceret nobis sacramen-

- 10. tum voluntatis suae, secundum beneficium eius, quod proposuit in eo, in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quae in caelis, & quae in terra sunt, in ipso:
- 11. In quo etiam & nos sorte vocati sumus praedestinati secundum propositum eius, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae:
- 12. ut simus in laudem gloriae eius nos, qui ante speravimus in Christo:
- 13. In quo & vos, cum audissetis verbum veritatis, (Evangelium salutis vestrae) in quo & credentes signati estis Spiritu promissionis sancto,
- 14. qui est pignus hereditatis nostrae, in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriae ipsius.
- 15. Propterea & ego audiens fidem vestram, quae est in Domino Iesu, & dilectionem in omnes sanctos,
- 16. non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis:
- 17. ut Deus, Domini nostri Iesu Christi pater gloriae, det vobis spiritum sapientiae & revelationis, in agnitione eius:
- 18. illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis quae sit spes vocationis eius, & quae divitiae gloriae hereditatis eius in sanctis,
- 19. & quae sit supereminens magnitudo virtutis eius in nos, qui credimus * se-
- 20. quam

- 20. quam operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in caelestibus:
- 21. supra omnem principatum & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro.
- * Psal. 8. 8. 22. * Et omnia subiicit sub pedibus eius: & ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam,
- 23. quae est corpus ipsius, & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpleret.

CAPUT II.

Statum peccatoris mentis oculis subiicit, ut hominis coram Deo mortui, pravis affectibus, & carnali sua voluntati traditi; ut filii irae, qui mundi spiritu agitur, qui demonis imperio subest.

- Coloss. 2. 13. **E**T vos, cum esetis mortui delictis, & peccatis vestris,
- 2. in quibus aliquando ambulastis secundum saeculum mundi huius, secundum principem potestatis aeris huius, spiritus, qui nunc operatur in filios diffidentiae,
- 3. in quibus & nos omnes aliquando conversati sumus in desiderii carnis nostrae, facientes voluntatem carnis, & cogitationum, & eramus naturae filii irae, sicut & ceteri:
- 4. Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, quae dilexit nos,
- 5. & cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo, (cuius gratia estis salvati)
- 6. & conresuscitavit, & confedere fecit in caelestibus in Christo Iesu:
- 7. ut ostenderet in saeculis supervenientibus abundantes divitias gratiae suae in bonitate super nos in Christo Iesu.
- 8. Gratia enim estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum est,
- 9. non ex operibus, ut nequis glorietur.
- 10. Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quae preparavit Deus ut in illis ambulemus.
- 11. Propter quod memores estote, quod aliquando vos Gentes in carne, qui dicimini praepitium ab ea, quae dicitur circumcisio in carne, manu facta:
- 12. quia eratis illo in tempore sine Christo, alienati à conversatione Israel, & hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo.

- 13. Nunc autem in Christo Iesu vos, qui aliquando eratis longè, facti estis propè in sanguine Christi.
- 14. Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, & medium parietem maeeriae solvens, inimicitias in carne sua:
- 15. legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in semetipso in unum novum hominem, faciens pacem, & reconciliet ambos in uno corpore, Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso.
- 17. Et veniens evangelizavit pacem vobis, qui longè fuistis, & pacem iis, qui propè.
- 18. * quoniam per ipsum habemus accessum ambo in uno Spiritu ad Patrem. * Rom. 5. 2.
- 19. Ergo non iam estis hospites, & advenae: sed estis cives sanctorum, & domestici Dei: † SANCT. THOMAE APOST.
- 20. superaedificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu:
- 21. in quo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino,
- 22. in quo & vos coaedificamini in habitaculum Dei in Spiritu. *

CAPUT III.

Mysterium Gentilium cum Iudaeis reconciliationis, Paulo revelatum; cuius mysterij se ministrum esse merito gloriatur.

- 1. **H**uius rei gratia, ego Paulus vincus Christi Iesu, pro vobis Gentibus,
- 2. si tamen audistis dispensationem gratiae Dei, quae data est mihi in vobis:
- 3. quoniam secundum revelationem notum mihi factum est sacramentum, sicut supra scripsi in brevi:
- 4. prout potestis legentes intelligere prudentiam meam in mysterio Christi:
- 5. quod aliis generationibus non est agnitus filiis hominum, sicuti nunc revelatum est sanctis Apostolis eius, & Prophetis in Spiritu,
- 6. Gentes esse coheredes, & concorporales, & participes promissionis eius in Christo Iesu per Evangelium:
- 7. cuius factus sum minister secundum donum gratiae Dei, quae data est mihi * secundum operationem virtutis eius. * Supr. 1. 19.
- 8. * Mihi omnium sanctorum minimo * 1. Cor. 15. 9. data est gratia haec, In Gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi,
- 9. & illuminare omnes, quae sit dispensatio

satio sacramenti absconditi à sæculis in Deo, qui omnia creavit.

10. ut innotescat principatibus, & potestatibus in cælestibus per Ecclesiam, multiformis sapientia Dei,

11. secundum præfinitionem sæculorum, quam fecit in Christo Iesu Domino nostro:

12. In quo habemus fiduciam, & accessum in confidentia per fidem eius.

† DOM. 16. POST PENTEC. 13. Propter quod & peto ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis: quæ est gloria vestra.

14. Huius rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi,

15. ex quo omnis paternitas in cælis, & in terra nominatur,

16. ut det vobis secundum divitias gloriæ suæ, virtute corroborari per Spiritum eius in interiorem hominem,

17. Christum habitare per fidem in cordibus vestris: in charitate radicati, & fundati,

18. ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum:

19. scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.

20. Ei autem, qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus, aut intelligimus, secundum virtutem, quæ operatur in nobis:

21. Ipsi gloria in Ecclesia, & in Christo Iesu in omnes generationes sæculi sæculorum. Amen. ^A

CAPUT IV.

Ad morum præcepta descendit, quæ ex principiis iam positis de structura eiusdem edificij, & novæ eorum in eodem corpore societate ducuntur.

† DOM. 17. POST PENTEC. 1. † **O**bscuro itaque vos ego vincitus in Domino, * ut dignè ambuletis vocatione, quæ vocati estis,

2. cum omni humilitate, & mansuetudine, cum patientia, supportantes invicem in charitate,

3. * solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis.

4. Unum corpus, & unus Spiritus sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ.

5. Unus Dominus, una fides, unum baptisma.

† Mal. 2. 10. 6. * Unus Deus & Pater omnium, qui

est super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis. ^A

7. * & unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.

8. Propter quod dicit: * Ascendens in altum captivam duxit captivitatem: dedit dona hominibus.

9. Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primum in inferiores partes terræ?

10. Qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes cælos: ut impleret omnia.

11. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem pastores, & doctores

12. ad consummationem sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi:

13. donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi: ^A

14. ut iam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.

15. Veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus:

16. ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem iuncturam subministratiõnis, secundum operationem in mensuram unicuiusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate.

† Rom. 1. 21. 17. * Hoc igitur dico, & testificor in Domino, ut iam non ambuletis, sicut & Gentes ambulant in vanitate sensus sui,

18. tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam, quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum,

19. qui desperantes, semetipsos traderunt impudiciæ, in operationem immunditiæ omnis in avaritiam.

20. Vos autem non ita didicistis Christum,

21. si tamen illum audistis, & in ipso edocti estis, sicut est veritas in Iesu.

22. * deponere vos secundum pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris.

† Rom. 6. 4. 23. * & Renovamini autem spiritu mentis vestræ,

24. &

* Coloss. 3. 12. 24. * & induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis.

* 1. Petr. 2. 1. 25. * Propter quod deponentes mendacium, * loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo: quoniam sumus invicem membra.

* Zach. 8. 16. 26. * Irascimini, & nolite peccare: sol non occidat super iracundiam vestram.

* Iacob. 4. 7. 27. * Nolite locum dare diabolo:

28. qui furabatur, iam non furetur: magis autem laboret, operando manibus suis, quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti. ^A

29. Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat: sed si quis bonus ad ædificationem fidei ut det gratiam audientibus.

30. Et nolite contristare Spiritum sanctum Dei: in quo signati estis in diem redemptionis.

31. Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis cum omni malitia.

* Coloss. 3. 13. 32. * Estote autem invicem benigni, misericordes, donantes invicem sicut & Deus in Christo donavit vobis.

CAPUT V.

Moralia profequitur; Christi imprimis imitationem, castum & prudentem sermonem, prudentiam, charitatem commendat; ut mulieres sint subditæ viris.

† DOM. 3. QUADR. 1. † **E**stote ergo imitatores Dei, sicut filii charissimi:

* Ioan. 13. 34. & 15. 12. 2. * & ambulat in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suavitatis.

* Coloss. 3. 5. 3. * Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut avaritia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos:

4. aut turpitudine, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet: sed magis gratiarum actio.

5. Hoc enim scitote intelligentes: quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hereditatem in regno Christi, & Dei.

* Matth. 24. 4. 6. * Nemo vos seducat inanibus verbis: propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentia.

* Marc. 13. 5. 7. Nolite ergo effici participes eorum.

8. Eratis enim aliquandò tenebræ: nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulat:

9. fructus enim lucis est in omni bonitate, & iustitia, & veritate: ^A

10. probantes quid sit beneplacitum Deo:

11. & nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite.

12. Quæ enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est & dicere.

13. Omnia autem, quæ arguuntur, à lumine manifestantur: omne enim, quod manifestatur, lumen est.

14. Propter quod dicit: Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.

15. † Videte itaque fratres, quomodo cavete ambulatis: * non quasi insipientes, sed ut sapientes: redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.

16. Propterea nolite fieri imprudentes: * sed intelligentes quæ sit voluntas Dei.

17. Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria: sed implemini Spiritu sancto,

18. loquentes vobismetipsis in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes, & psallentes in cordibus vestris Domino,

19. gratias agentes semper pro omnibus, in nomine Domini nostri Iesu Christi Deo & Patri.

20. Subiecti invicem in timore Christi. ^A

21. * & mulieres viris subditæ sint, sicut Domino:

22. * quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ: Ipse, salvator corporis eius.

23. Sed sicut Ecclesiæ subiecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus.

24. * Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea,

25. ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ,

26. ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta & immaculata.

27. Ita & viri debent diligere uxores suas ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit.

28. Nemo enim unquam carnem suam odio habuit: sed nutrit, & fovet eam, sicut & Christus Ecclesiam:

29. quia membra sumus corporis eius, de carne eius, & de ossibus eius.

30. * Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem suam, & adhærebit uxori

† DOM. 20. POST PENTEC. * Coloss. 4. 5.

* Rom. 12. 2. 1. Theff. 4. 3.

* Gen. 3. 16. Col. 3. 18. 1. Petr. 3. 1.

† PRO SPONSO & SPONS. * 1. Cor. 11. 3.

* Coloss. 3. 19.

* Gen. 2. 23. Math. 19. 5.

* Marc. 10. 7.